

## Sermo Tertius.

ANAXAGORAS ait, dico quod principium omnium quæ DEUS creavit est pietas, & ratio, eò quod pietas regit omnia & in ratione apparuit pietas & spissum terræ, pietas autem non videtur nisi in corpore. Et scitote omnis Turba, quod spissitudo quatuor elementorum in terra quiescit, eò quod ignis spissum in aera cadit: aeris verò spissum, & quod ex ignis spisso congregatur in aquam incidit. Aquæ verò quoq; spissum, & quod ex ignis: & aeris spisso coadiuuatur in terra quiescit. Nonne videtis quod elementorum quatuor spissitudo, in terra coniuncta est, Ipsa igitur est omnibus spissior. *Inquit Turba* verum dixisti. Terra certè cæteris est spissior. Quod ergo quatuor elementorum est rarius & quod dignius est habere rarum istorum quatuor? *Ait*, ignis est rarius his quatuor, & ad eum pervenit rarum istorum quatuor. Aer vero est minus rarus igne, nam calidus est & humidus ignis verò est calidus & siccus, calidum namque siccum est rarius calido & humido. *Dicunt* ei quid minoris raritatis est aere? quid: *ait*, aqua, eo quod in eo est frigiditas & humiditas, & omne frigidum humidum est minoris raritatis calido, humido. *Inquiunt* verum dixisti: Quid ergò minoris raritatis est aqua, *ait* terra eò quod frigida & sicca. Et frigidum & siccum est minoris raritatis frigido & humido. Et quemadmodum siccum & calidum est rarius calidiori humido ita calidum & siccum est minoris raritatis frigido & humido: Bene aptastis ô filij doctrinæ, harum naturarum, quatuor descriptionem, ex quibus DEUS omnia creavit. Beatus ergò qui intelligit quæ descripsistis quoniam ex mundi capite maius inveniet quam suum propositum, Perficiatis ergo sermonem nostrum. *Aiunt*, imò iube quemlibet sermonem nostrum continere. Dic tu Pandolfe,

## Sermo Quartus.

PANDOLFUS autem dixit, significo posteris quod aer est tenuæ aquæ, & quod non separatur ab ea quod si non esset terra super aquam humidam non maneret, *Aiunt* bene dixisti. Tuam ergo perfice orationem: *Ait ille* dixit quod aer absconditus in aqua quæ sub terra est, est qui fert terram ne mergatur in aquam quæ est sub terra, & prohibet ne terra humectetur aqua. Aer igitur factus est cõpletus, & inter diversa separans aquam sc. & terram, ac inter adversaria aquam & ignem faciens

A 2

est igitur

*Ex & in terra  
et spissum.**Ex & in igne  
et rarum.**Omnia ex  
istis.**Aer inter  
mediator*